

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Veneris decimâ Junii.

M. PETRO PAULO GUYART, Doctore Medico, Præside.

An sanguis aëris admixtione fiat sanguis?

I.



PULMO præcipuum est respirationis organum, non unicum. Ad opus tam eximium, tam necessarium, conspirant totum pectus, diaphragma: imo, & cum necesse est, ipsum abdomen. Thoracis partes tam multæ cum ad respirationem conferant, omnium maximè musculi: hi pectus ampliantes pulmonem etiam ampliant: pulmo factus amplior aërem largo haurit haustu, multum sanguinem admittit quem induit purpura. Dubitas talem esse

illius uſum ? vel nudis luſtra oculis tracheæ ſurculos, arteriæ venæque pulmonaris ramos. Triplicem hancce vaſorum familiam deprehendes per viſcus princeps ubique ſparſam, ſui ubique comitem. Ex hac tubulorum diſpoſitione colligere licet quis ſit uſus pulmonis, quis inſpirati aëris. Chylus vitali ſucco materiam ſuppeditat. Aër formam conciliat, puta motum, colorem.

II.

SANGUIS, liquor, ſi quis alius, multiplex. Proindeque ad fermenteſcendum aptus. Opus eſt non unius cordis & pulmonis, ſed omnium viſcerum, pene dicam partium. Quæ enim pars huic, vel elaborando, vel repurgando non inſeruit? In renibus ſerum, in jecore bilem deponit. In liene, pancreate, glandulis, adipe &c. Subit alterationes vix notas; in corde ac pulmone conſpicuas. Hæ ut manifeſtius intelligantur ſanguificationis progreſſum juvat proſequi. Chylus in ventriculo inchoatus, in tenuioribus inteſtinis perficitur, miſcela bilis & ſucci pancreatici: hinc vaſis lacteis exceptus, & ductu thoracico ad ſubclavias: ab his in cavam cum ſanguine ab extremis reduce: à cava in dextrum cordis ſinum pergit ſanguis nova chyli acceſſione locupletatus, è corde ſubruber proſilit in pulmones; ab his redit purpureus, tenuior, velocior in ſiniſtrum cordis cavum. Unde tam repentina mutatio motus & coloris niſi ab aëre?

III.

COR & pulmo præcipuæ ſunt ſanguificationis officinæ. Utri id operis magis debeatur vix quiſquam decernat. Cordi appenſa hinc inde duo vaſa, cum auriculis, valvulis, fibris muſcularibus, cellulis, arteria & vena pulmonari, ſanguinis circuitum moderantur. Pulmo viſcus eſt rarum, molle, membranoſum: à quo ſi varii generis vaſa detraxeris, nil

aliud reperies quam congeriem veſicularum, quæ ita connectuntur aliæ aliis, ut mutuum præbeant aëri aditum, dum ad extremam quæ pulmones veſtit membranam pervenerit. Trachea ſecatur in tres partes, infima bronchiorum nomine audit: totum tracheæ corpus non ineptè comparaveris arbori inverſæ, hujus rami ſunt bronchiales ductus: hi vaſa ſanguifera ubique comitantes aërem deferunt ad veſiculas ibi cum ſanguine permiſcendum. Permixtio aëris cum ſanguine huic, ſuam formam conciliat, puta motum colorem.

I V.

AER alimentum eſt, quo nullum animal diù careat impunè. Vita continetur ſanguinis motu. Hic ab aëre maximè pendet. Nec ſolum motio, ſed color, fluiditas ſanguinis effecta ſunt aëris humores exagitantis comminuentis. Hæc qui in dubium revocat, utrumque cordis ſinum inſpiciat. Sanguinem reperiet in dextro; coloris ſubrubri: in ſiniſtro; purpurei: idem ſanguis qui in dextro cordis ſinu iners eſt & ſtagnat, idem à pulmonibus rediens, in ſiniſtro actuoſus eſt, ſpirituoſus, ferociens. Unde optimus naturæ parens ſubſtantiam fabricatus eſt cordi diverſam pro varietate ſanguinis quem continet: venoſo ſcilicet laxam & mollem, arterioſo duram & ſolidiorem. Strangulato cani ac præfocationi proximo inſufletur aër ſive per trachæam, ſive per cavam, illico cum motu ac reſpiratione redditur vita moribundo.

V.

QUANTA ſit aëris ad vivendum neceſſitas nemo neſcit. Tandiu enim vivimus quandiu ſpiramus, tamdiu ſpiramus quandiu ducimus aërem. Hujus pars tenuiſſima ſanguini per arteriam pulmonis delato admixta, partes illius minutiùs concidit ut liberè & expeditè per arterias in corpus

universſum propellantur. unde vero repetenda eſt cauſa tam frequens nec opinatæ mortis ? id ut conſtet aperi cor, in eo occurrent polypoſæ concretiones, occurrent & in arteriis veniſque : unde etiam ſyncopæ, pulſus languor, & alia torpidi ſanguinis ac intercepti ſymptomata. Hæc, ſi bene ponitur calculus, parit aër vel deficiens, vel ſanguini minus attemperatus ; ipſumque coagulans, in minutioribus, imò & majoribus arteriis infarctus pariens, animal quacumque de cauſa aut ratione aëre defraudatum brevi perit : ſanguis recens miſſus rubet qua parte exponitur aëri. Nigreſcit aliis partibus : hæ iterum aëri ſubjectæ rubeſcunt.

Ergo ſanguis aëris admixtione fit ſanguis.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ambroſius Nicolaus Chemineau.	*M. Michael Sauvalle.*	*M. Guido Creſcentius Fagon, Primarius Chriſtianiſſimi Regis, Medicus, & Archiatrorum comes.*
M. Joannes Gelly.	*M. Joannes-Baptiſta-Renatus Moreau, Profeſſor Regius.*	*M. Jacobus de Bourges.*
M. Joannes-Baptiſta-Gabriel Freſſant.	*M. Renatus le Conte.*	*M. Nicolaus Rainſſant.*

Proponebat Pariſiis MATHÆUS DIONYSIUS FOURNIER, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.